

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.197-211*

Sīc effātus vestīgia pressit

observāns quae signa ferant, quō tendere pergant.

Pascentēs illae tantum prōdīre volandō

200 quantum aciē possent oculī servāre sequentum.

Inde ubi vērē ad faucēs grave olentis Avernī,

tollunt sē celerēs, liquidumque per āera lapsae

sēdibus optātīs geminā super arbore sīdunt,

discolor unde aurī per rāmōs aura refulsit.

205 Quāle solet silvīs brūmālī frīgore vīscum

fronde virēre novā, quod nōn sua sēminat arbōs,

et croceō fētū teretēs circumdare truncōs,

tālis erat speciēs aurī frondentis opācā

īlice, sīc lēnī crepitābat brattea ventō.

210 Corripit Aenēās extemplō avidusque refringit

cūctantem, et vātis portat sub tecta Sibyllae.

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.450-466*

450 Inter quās Phoenissa recēns ā volnere Dīdō  
errābat silvā in magnā; quam Trōius hērōs  
ut prīmum iuxtā stetit agnōvitque per umbrās  
obscūram, quālem prīmō quī surgere mēse  
aut videt aut vīdisse putat per nūbila lūnam,  
455 dēmīsit lacrimās dulcīque adfātus amōre est:  
“Infēlix Dīdō, vērus mihi nuntius ergō  
vēnerat extinctam ferrōque extrēma secūtam?  
Fūneris heu tibi causa fuī? Per sīdera iūrō,  
per superōs et sī qua fidēs tellūre sub īmā est,  
460 invītus, rēgīna, tuō dē lītore cessī.  
Sed mē iussa deum, quae nunc hās īre per umbrās,  
per loca senta sitū cōgunt noctemque profundam,  
imperīis ēgēre suīs; nec crēdere quīvī  
hunc tantum tibi mē discessū ferre dolōrem.  
465 Siste gradum tēque aspectū nē subtrahe nostrō.  
Quem fugis? Extrēmum fātō quod tē adloquor, hoc est.”

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.467-476*

Tālibus Aenēās ardentem et torva tuentem

lēnībat dictīs animum lacrimāsque ciēbat.

Illa solō fīxōs oculōs āversa tenēbat

470 nec magis inceptō voltum sermōne movētur,

quam sī dūra silex aut stet Marpēsia cautēs.

Tandem corripuit sēsē, atque inimīca refūgit

in nemus umbriferum, coniūnx ubi prīstinus illī

respondet cūrīs aequatque Sychaeus amōrem.

475 Nec minus Aenēās cāsū concussus inīquō

prōsequitur lacrimīs longē et miserātur euntem.

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.847-859*

“Excūdent aliī spīrantia mollius aera,  
(crēdō equidem), vīvōs dūcent dē marmore vultūs,  
ōrābunt causās melius, caelīque meātūs

850 dēscrībent radiō et surgentia sīdera dīcent:  
tū regere imperiō populōs, Rōmāne, mementō  
(hae tibi erunt artēs), pāciq̄ue impōnere mōrem,  
parcere subiectīs et dēbellāre superbōs.”

Sīc pater Anchīsēs, atque haec mīrantibus addit:

855 “Aspice, ut īsignis spoliīs Mārcellus opīmīs  
ingreditur victorque virōs superēminet omnēs.  
Hic rem Rōmānam magnō turbante tumultū  
sistet eques, sternet Poenōs Gallumque rebellem,  
tertiaque arma patri suspendet capta Quirīnō.”

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.860-886*

- 860 Atque hīc Aenēās (ūnā namque īre vidēbat  
ēgrēgium formā iuvenem et fulgentibus armīs,  
sed frōns laeta parum et dēiectō lūmina vultū)  
“Quis, pater, ille, virum quī sīc comitātur euntem?  
Fīlius, ane aliquis magnā dē stirpe nepōtum?
- 865 Quī strepitus circā comitum! Quantum īnstar in ipsō!  
Sed nox ātra caput trīstī circumvolat umbrā.”  
Tum pater Anchīsēs lacrimīs ingressus obortīs:  
“Ō gnāte, ingentem lūctum nē quaere tuōrum;  
ostendent terrīs hunc tantum fāta, neque ultrā
- 870 esse sinent. Nimium vōbīs Rōmāna propāgō  
vīsa potēns, superī, propria haec sī dōna fuissent.  
Quantōs ille virum magnam Māvortis ad urbem  
campus aget gemitūs! Vel quae, Tiberīne, vidēbis  
fūnera, cum tumulum praeterlābēre recentem!
- 875 Nec puer Īliacā quisquam dē gente Latīnōs  
in tantum spē tollet avōs, nec Rōmula quondam  
ūllō sē tantum tellūs iactābit alumnō.  
Heu pietās, heu prīsca fidēs invictaque bellō  
dextera! Nōn illī sē quisquam impūne tulisset
- 880 obvius armātō, seu cum pedes īret in hostem,  
seu spūmantis equī foderet calcārībus armōs.  
Heu, miserande puer, sī quā fāta aspera rumpās--.  
tū Mārcellus eris. Manibus date līlia plēnīs  
purpureōs spargam flōrēs animamque nepōtis
- 885 hīs saltem accumulē dōnīs, et fungar inānī  
mūnere.”